

www.e-rara.ch

**Episcopatus Wirceburgensis Sub Metropoli Moguntina Chronologica et
diplomatice illustratus**

Ussermann, Aemilian

Sankt Blasien, 1794

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Re 225

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-53867>

Operis ratio ad Germaniae eruditos.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

OPERIS RATIO

A D

GERMANIÆ ERUDITOS.

Refflorescit demum, quam ex inopino maximi sui meccœnatis ac promotoris MARTINI GERBERTI obitu emarcituram timebamus, *Germania* sacra nostra, dum novum veluti vigorem affatim haurit ex dignissimi illius in dignitate æque ac hereditario quasi in bonas literas amore et studio successoris MAURITII vigilantia, qua tempore licet periculis pleno, ac barbaro hoste vicino nullis aut curis parcat aut fumentibus, ut commune consilium eo maturius exequatur. His quidem auspiciis adiuta in lucem iam prodire incipit, cuius vero operis rationem præfationis loco paucis hic reddendam censuimus.

Dum ad conscribendam *Germaniam sacram*, seu omnium eius episcopatumum historiam adiecimus animum, haud aliud nobis perinde ac illis, qui huius consilii duces et antesignani nostri extiterunt, erat propositum, quam ut patriæ nostræ sacra omnis quidem, sed medii præprimis ævi monumenta hinc inde adhuc recondita, ac in quoddam compendium redacta in lucem proferremus, et genuinas ecclesiarum nostrarum origines sacrumque earum statum panderemus. Equidem paucas Germaniæ nostræ diœceses numeramus, quarum

historicam aliquam notitiam subinde in scriptoribus reperire non liceat, tantis tamen fabulis, contradictionibus aut anachronismis sæpius involutam, ut lectores quosque veritatis avidos inde in transversum agi facillimum fit. Quodsi etiam integræ quorundam episcopatum historiae prostent, plerumque tamen *sacra* cum *profanis* aut *politicis* ita commista sunt, ut exactam *sacram* eorum notitiam inde eruere vix liceat. Ut plurimum quoque minores diocesium ecclesiæ, *collegiæ* nimirum, aut *monasteria* ibi negliguntur, aut vix solo nomine indicantur, quarum tamen maior cognitio historiae patriæ cum primis necessaria est.

Assertum hoc nostrum ex duobus duumyris Protestantibus æquis omnino rerum æstimatoribus potius, quam nostris rationibus firmare iuvat. Primus est Io. *Marshantus* Anglus, qui in suo ad *Monasticon Anglicanum* anno 1655. editum propylæo de Anglia æque ac Germania haud suspectum iudicium profert. *Quanti intersit, verissime scribit, reipublicæ litterariæ, naufragas hæc collegisse tabulas, non indicabit nisi is, qui satis intelliget, quanta fuisset iactura, illas periisse.* Quanti autem et profanæ historiae intersit, deinceps de Anglia sua disserens addit: *qui iniquo feret animo, civilem maiorum nostrorum disciplinam, res pace belloque egregie gestas, urbes conditas, regiones descriptas, centurias divisas, aliaque ad politiam spectantia evanuisse, vel tenuibus incertisque rumusculis ad nos devenisse: is sane gratissimo suscipiet animo, christianam instaurari disciplinæ veteris historiam, et origines cœnobiales, in penitissimis olim larariis tanquam sacra quædam anathemata repositas, ab oblivione et interitu vindicari.* Quemadmodum enim pii maiores, reges, magnates, alii, templis construendis, monasteriis fundandis, dotandis, ditandis, immunitatibus concedendis ad miraculum usque magnifici fuerunt, eaque re in æternum honorandi: ita non

defuit etiam monachis sua laus, quod pia cura et sedula gratitudine collata in ipsos beneficia mandarunt litteris, adeoque de bene merentibus nominibus ipsi bene meruerunt. Unde tandem subiungit: absque monachis nos sane in historia patria semper essemus pueri.

Huic alterum iungimus Germaniæ nostræ eruditum, qui in præloquio ad *Thuringiam sacram* editam anno 1737. postquam Viros recensuit in eruendis diplomatibus inclitos, „unde hæc cimelia, quæ eorum conditoria, ubi quasi sepulta iacuerunt? Sunt hercle, respondet, monasteria atque ea loca, ubi quondam sacra eiusmodi collegia fundata floruerunt.“ Ex quibus recte infert: „Si quis diplomatibus colligendis velit dare operam, ei cum primis perscrutanda esse et quæ olim fuerunt, et quæ hodiernum extant, monasteria, ac studium diplomaticum minus prospere procedere, nisi cum accuratiori cœnobiorum historia coniungatur.“ Verum difficilius id esse, ac sibi persuaserat optimæ voluntatis vir, experti loquimur. Quæ enim ex illis supersunt, obserata sua scrinia tenent, nescio quo periculorum metu; reliquorum documenta aut distracta sunt, aut principum archivis illata, unde tamen facilius est captivorum documentorum redemptio, prout et nos plura ex occlusis alias his conditoriis nacti sumus. Quod porro addit laudatus hic scriptor, nostrum omnino facimus: *ex tot monasteriis, aliisque locis sacris, quæ vel in nostris vel vicinis regionibus olim extiterunt, aut adhucdum existunt, pauca admodum sunt, de quibus accuratior prostat historia. Quamobrem nos etiam operæ fecisse pretium arbitramur, si pro viribus levare inopiam conabimur.*

Satis hæc, ut arbitramur, suscepti nostri operis scopum produnt, quin his plura addere aut ulterius præfari necesse sit. Quem

vero ut obtineremus, diplomatum præprimis et chartarum fidem in subsidium vocavimus, sicubi ad manus habere licuit. In horum autem defectu, qui subin voto et exspectatione nostra maior est, auctores vel coævos aut certe suppres duces elegimus, vel his etiam deficientibus, sequioris ævi scriptores, caute tamen et non nisi necessaria ac sobria crisi adhibita. Ex illis hinc inde dispersa collegimus, atque ex tot quasi laciniis succinctam quandam singulorum diœcesium notitiam historicam adornavimus, ab anilibus tamen fabulis traditionibusque popularibus, quin et a mendis aliis, quæ passim in scriptoribus deprehendimus, quoad licuit, repurgatam. Ne vero in immensum excresceret opus, aliunde fat amplum futurum, brevitati ita consulendum censuimus, ut tamen *præcipua fata aut gesta sacra* in pugnum velut contracta lectoribus fisterentur, fontes indicasse contenti, unde, qui voluerint, ampliorem sibi notitiam haurire valeant. *Facta* tamen aut *iura mere politica* in censum nostrum minime veniunt, utpote a *sacris* aliena: quamvis et horum subin facienda mentio fuit, ubi id historiæ nexus persuasit.

Porro operis nostri œconomia hæc est. Diœceses singulæ iuxta provincias ecclesiasticas seu sedium Metropolitanarum divisionem describentur, haud fixo tamen ordine, sed prout earum quælibet a fociis nostris fuerit exarata. Quivis episcopatus proprium sibi totum vindicabit, ut habeant eruditi illius incolæ, quo facilius eum nancisci possint, quin totam collectionis seriem multo pretio comparari sit necesse. Una tamen erit omnium, quoad fieri poterit, œconomia seu distributio, ut primo loco compareant PROLEGOMENA seu dissertationes quædam præviæ, maxime de antiquo eorundem locorum statu, et initiis religionis Christianæ ibidem, de institu-

rione episcopatus, eius limitibus ac distributione, aut si quæ alia pro re nata curatius disquirenda veniant: quæ quidem **LOCALE** cuiusque diœcesis constituunt, theatrum quasi, in quo dein personæ agentes compareant, unde enascitur **PERSONALE** et **REALE**. Hoc in tres partes abit, quarum prima principales personas seu **ANNALES EPISCOPORUM** sistet: ad quos utique pertinent synodorum et alia diœcesis statuta ecclesiastica, quæ vero, utpote iam in collectione Conciliorum Germaniæ contenta, singula inserere operosum nimis foret; si quæ tamen *anecdota* occurrant, illa quoque in probationum codice locum habebunt. Succedit pars altera, quæ **STATUM ECCLESIASTICUM SECULAREM** seu ecclesias collegiatas complectitur, ut plurimum tamen fatis ieiuna et sterilis. Hanc excipit tertia, quæ **STATUM ECCLESIASTICUM REGULAREM** seu omnis generis et ordinis monasteria exhibet. Hæc fatis quidem ampla foret, nisi constituti a nobis limites eam nonnihil in arctum contrahere iuberent, ne pars fieret toto suo maior, quin tamen, quæ maioris sunt momenti, sint negligenda. Historiam denique claudit **CODEX PROBATIONUM** ex præcipuis documentis tam editis maximam partem emendatis, quam ineditis chronologico ordine collectus; minoris enim momenti, ut puta emtionum, venditionum seu permutationum aliasque eius generis chartas potiores indicasse suffecerit. Rogatos vero volumus lectores, ne sphalmata vel errores in ipsis fors occurrentes nobis imputent; notum enim est, quam fit proclive, amanuenses in lectione eiusmodi monumentorum minus sæpe exercitatos in iis transcribendis aut oculis aut calamo aberrare. Quæ autem in illis notata digna videntur, in ipsa iam historia plerumque illustrata habentur, quin eas superfluis sæpe notis onerare sit necesse.

Systematis huius specimen daturi primum operis nostri tomum ex ipsius huius methodi legibus adornatum in publicum præmittimus, eruditorum desuper iudicia experturi, ut si illis proposita distributio minus arrideat, ab iis amice moniti illam immutare ante valeamus, quam plures alii tomi ad prelum iam parati subsequantur. Præsens complectitur Episcopatum WIRCEBURGENSEM, seu primum *Provinciae Moguntinae*, a qua initium ducimus, suffraganeum, cuius sedi et ortum suum debet. Congruum quidem fuisset, ut ab hac prima Germaniæ Metropoli Germaniam sacram ordiremur, quod tamen quin fieret, duo obstitere: unum, quod tractandorum amplitudo unius voluminis spatio contineri, et sic specimen expetentium votis mature adeo satisfieri haud potuisset, ut nihil dicamus de perturbato interim ipsius Moguntiaë statu. Altera vero ratio erat, ne falcem mitteremus in messem alienam, quam Rev.^{mus} *Wirdtwein* iam a triginta annis ad ordinandam huius Metropolis historiam colligit; quæ tamen quum *sacrum* æque ac *politicum* eiusdem statum exhibitura sit, proposito et collectioni nostræ haud inservit. Tranquilliora igitur tempora exspectamus, in quibus illius Hierarchiam eodem modo exhibebimus, quo nunc *Wirceburgensem* fistimus.

Erunt, ut facile prævidemus, qui res vel origines ecclesiarum suarum aut *minus*, aut *aliter*, quam vellent, fuisse pertractatas ægre ferent. Ast primi id sibi ipsis imputent, quod ampliorem notitiam occultare, quam nobis et orbi communicare maluerint; ex nihilo enim nihil fit, maxime in historicis, ubi fundamento deficiente quidquid superædificaveris, nullius unquam erit soliditatis aut roboris. Suas vero aut aliorum potius querelas facile fistent, si ipsi e thesauris suis absconditis proferant, quod deesse conqueruntur. Cæteri perpendant, quam nobis præfiximus, metam, a qua in nul-

lius gratiam unquam vel unguem discedemus; non enim nisi ex indubitatis documentis a contraria traditione recessimus: quibus si certiora ac magis genuina nobisque ignota produxerint, apud nos æque ac patriæ historiæ studiosos gratiam non modicam inibunt, quibus id unice in votis est, ut communi bono veritas quocumque demum modo pateat, quæ certe nemini præiudicium affert. Id faltem persuasos cupimus cunctos, nos ab omni quemcumque offendendi animo quam maxime esse alienos, nisi qui adeo sint abiecti, ut illis aut veritas aut invidia oculos obfuscet. Nec nescio quod infallibilitatis privilegium nobis arrogamus; omni enim adhibita diligentia falli potuimus, fallere nolimus unquam. Unde nec a nobis scripta a quocumque refelli indigne ullo modo feremus, id tamen sancte professi, nos id quidem gratum habituros, si modeste fiat, nunquam tamen vel syllabam contra publice moturos.

Superest demum, ut optimis nostris Mæcenatibus, quorum subsidiis humanissime adiuti fumus, illorumque nomina suis locis inseruimus, debitas hic publico nomine laudes ac grates persolvamus. Duos præcipue ex illis nominandos censuimus; primus est Cl. VOIGT archivarius Vinariensis, qui annuente Ser.^{mo} suo Duce cuncta archivi *Vinariensis* et *Isenacensis* documenta, quæ res nostras tangunt, per manum secretarii sui D. Meyer descripta nobis transmissit, quorum vero potissimus nobis usus erit in recensendis Saxoniarum episcopatibus. Alter Cl. Phil. Ern. SPIESS consiliarius regiminis Brandenburgensis et Protoarchivarius Plassenburgicus iterato monasterium nostrum anno 1788, ac rursus anno 1793. sua præsentia dignatus insignem nobis ex concreditis sibi archivis documentorum thesaurum attulit, quo etiam in nostra historia præcipue usi

XII OPERIS RATIO AD GERMANIÆ ERUDITOS.

fumus. Quem tamen iam valetudinarium nos ultima vice visentem, ac a nobis invitis die 13. Octobris discedentem, Baruthi hoc anno 1794. die 5. Martii præmaturo fato abreptum nobiscum luget *Germania sacra æque et profana*, utriusque historiæ indagatorem et vindicem facile huius temporis maximum.

Valete, et cœptis nostris favete. Dabamus e musæo nostro D. Blasii in Hercyniis VII. Id. Aprilis A. R. S. MDCCXCIV.

